

vero antequam prodeant in lucem observationes ulterius indagari has res animus est. Te Professorem Botanices in Upsalâ audiivi summâ cum lætitiâ, floræ devotus omnino poteris viam quam monstrasti facilem amplius aperire, naturalemque methodum tandem perficere,* quam desiderant et expectant botanophili omnes. Nil novi apud nos præter tentamen historiæ naturalis provinciæ Cayenensis,† et herbarum officinalium catalogum. Ista opuscula tradet tibi chirurgus Comitum de Tessin, cum redibit in patriam. Addam et his fasciculum Quæstionum Medicarum Facultatis Parisiensis. Quæcumque ad me misisti nondum ad meas manus pervenere; gratias ago tamen plurimas pro eâ quâ me prosequeris benevolentîâ, in grati animi recordationem nonnulla offero semina exotica. Servet te Deus T. O. M. diu incolumem, vale, et me tibi devinctissimum credas

BERNARDUM DE JUSSIEU.

Parisiis die 15^o Februarii 1742.

Salutat te plurimum frater meus gratulanturque tibi amici optimi quos Parisiis novisti.

été mises au Nombre des Plantes et qui sont l'Ouvrage d'une Sorte d'Insecte de Mer. Mém. Acad. Sc. 1742). Dissertationem hanc sequebatur et partim complebat altera, prænuntiata quidem, sed quam, etsi absolutam, tamen (ut sæpius sueverat) ineditam reliquit (*Dissertation et nouvelles Découvertes sur les Coquillages marins connus jusqu'aujourd'hui sous le Nom de Plantes marines et ligneuses*). Hanc prætereaque multas adnotationes iconesque manuscriptas de animalculis marinis servamus, serii sagacisque studii monumenta, cujus conclusiones a plerisque, duce Linnæo, admissæ. Quæ tamen veri limites non nusquam transgrediebantur, ut recentiores Algologorum, præcipue cl. J. DeCaisne, observationes demonstravêre, unde Corallinæ cum nonnullis aliis corporibus marinis, fructificatione ipsorum perspectâ, vegetabilibus nunc iterum adnumerantur.

* Hic innuitur iterum methodus naturalis de quâ verisimile est fuisse frequens Bernardi cum Linnæo confabulantis argumentum. Linnæus jam pridem (in *Classibus*, ann. 1738) fragmenta inchoaverat hujus methodi, quam *primum et ultimum in parte systematicâ Botanices quæsitum* vocat, sed cujus indagationem, continuo et alios fere excludente labore promovendam, ipse postea, sinon deseruisse, certe neglexisse, tot tantisque aliis laboribus avocatus, videtur. Alterum quidem serius (*Genera Plantarum*, 1764) ordinum catalogum edidit, sed quos minus prioribus cum naturâ congruere sentiamus.

† *Nouvelle Relation de la France équinoxiale, contenant la Description des Côtes de la Guiane, de l'Isle de Cayenne, etc., etc.*, par Pierre Barrère. Paris. 1743. 12mo.